INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXXII
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXXIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HUGONIS WEISS** COMMENTATIO EXEGETICA:
DE OCTO QUAE DICUNTUR BEATITUDINIBUS.

BRUNSBERGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1892.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. PRORECTOR

DR. HUGO WEISS,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De octo quae dicuntur beatitudinibus.

Johannis Baptistae vaticinia comprobans Christus inde a die baptismi sui in Jordane accepti identidem non solum nuntiabat, „regnum coelorum“ seu „messianum“ appropinquasse (Matth. 4, 17; Mrc. 1, 15; Luc. 4, 43), sed etiam et verbis et rebus mirabiliter factis modo indirecte modo directe se ipsum manifestabat Messiam, ab hominibus tanto cum desiderio exspectatum (Joh. 2, 23; 4, 26, 41 sq.; Luc. 4, 21). Unde brevi magnus populi Israelitici motus factus est, praesertim quum jam tempore Machabaeorum propter gloriosas victorias de gentibus finitimis reportatas spes Israelitarum messiana valde crevisset.[1] Attamen magnopere dolendum erat, quod permulti Judaei istis ipsis ultimis rei publicae suae temporibus de persona, dignitate, munere Messiae perperam judicabant et imaginem illius ejusque regni longe aliam cogitatione sua fingebant, quam venerabiles Dei prophetae depinxerant.[2] Iniquam enim rerum politicarum conditionem aegre ferentes et imprimis crudeli dominatione Romanorum oppressi[3] plerique sperabant fore, ut Messias sicut rex quidam bellicosus opibus magnis exercituque invincibili quum gentes Israelitis hostiles tum Romanos profligaret et Eliae ira flagrantis instar omnes homines qui Deo adversarentur gravissima capitis poena afficeret (Joh. 6, 15; Luc. 9, 54).[4]

---

[1]) Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi, p. 419.

[2]) Cf. Langen, Das Judenthum in Palaestina zur Zeit Christi, p. 430 sqq.

[3]) Döllinger, Heidenthum und Judenthum, p. 770 sqq.

[4]) Notatu videtur dignum esse, quod etiam Philo, interpres Veteris Testamenti philosophicus, opinatur Messiam sicut ducem belli magnas et numerosas gentes devicturum esse (*πολεμῶν ἔθνη τε μεγάλα καὶ πολυάνθρωπα χειρώσεται*). Phil. de praemiis et poenis § 16.

Propterea sane mirum fuisset, si non Jesus Christus, ne vitae suae opus arduum et difficile stultis istis opinionibus ac desideriis impediretur, quam primum fieri poterat aequales suos veram naturam peculiaremque formam regni messiani diligenter docuisset. Optimam autem occasionem errores istos diluendi nactus est uno circiter anno post baptismum Johanneum.[5])

Tum enim temporis ingens multitudo tempestate serena primi veris favente ex Galilaea, Judaea, Peraea, aliis regionibus confluebat (Matth. 4, 24 sq.; Luc. 6, 17), ut accuratius uberiusque erudiretur a Jesu Nazareno, admirabili illo magistro, qui usque ad id breviter tantum singula praecepta atque instituta doctrinae suae in synagogis et domibus privatis dederat. Itaque hac opportunitate usus Christus celeberrimam illam habebat orationem, et a S. Matthaeo capitibus 5, 6, 7, et a S. Luca versibus 17—49 capitis 6 perscriptam, in qua accessum ad regnum messianum, leges fundamentales in hoc regno observandas, rationem inter Novum et Vetus Testamentum intercedentem, similia tam diserte adumbrabat,[6]) ut auditores vix fugere posset, aliud esse regnum „hujus mundi" (Joh. 18, 36), aliud regnum Messiae, imperium videlicet divinum, in quo omnes homines duce Christo spiritalem beatitudinem consecuturi essent.

Jam ut propius ad orationem illam contemplandam accedamus, primum annotandum est, utrumque Evangelistam locis supra citatis revera unam eandemque Domini orationem nobis offerre,[7]) quamvis non omnino inter se congruant. V. gr. parvi momenti est, locum in quo oratio habita sit secundum Matthaeum fuisse *τὸ ὄρος*, secundum Lucam *τόπον πεδινόν*;[8]) quoniam Evangelistis diversis his vocabulis merito uti licuit, si Christus ex promontorio quodam ad multitudinem in campo finitimo considentem verba fecerat. Quare etiam S. Augustinus (l. c. c. 19) admittit sententiam, „Dominum primo in aliqua excellentiori parte montis cum solis discipulis fuisse, quando ex eis duodecim elegit, deinde cum eis descendisse non de monte, sed de ipsa montis celsitudine, in campestrem locum ... atque ita discipulis et turbis unum habuisse sermonem, quem Matthaeus Lucasque narrant diverso narrandi modo sed eadem veritate rerum." — Neque multum refert, S. Lucam nonnullas orationis sententias a S. Matthaeo allatas non commemorare (v. gr. non octo beatitudines sed quattuor tantum enumerare); nam S. Lucas, quum evangelium suum destinaret usui eorum christianorum, qui antea pagani fuerant,[9]) multa praetermittere poterat, quae lectoribus suis, in historia et scriptis Veteris Testamenti parum volutatis, minoris momenti erant; S. Matthaeus vero, quum lectores spectaret, qui relicto Judaismo dotrinam christianam amplexi erant,[10]) latius describere debebat ea, quae Christus respectum habens ad Vetus Testamentum proponebat. Unde effici cogique potest, S. Matthaeum orationem in monte habitam, qua Dominus quodammodo respondere volebat ad messianas populi Judaici exspectationes, accuratius memoriae tradidisse quam S. Lucam, ejusdem orationis narratorem.

Hoc praeterea annotare juvat, locum, quo Christus verba ista gravissima coram populo suo faciebat, ex sententia complurium interpretum recentiorum fuisse montem, quem „Kurun Hittin" nostris temporibus vocant, cui, si Tiberiade ad occidentem versus iter feceris, duas post horas occurris; quo nuncusque monachi ordini S. Francisci ascripti quotannis sollemni cum pompa procedere solent.[11])

---

[5]) Friedlieb, Das Leben Jesu Christi, p. 369 sqq. 415.

[6]) Cf. Grimm, Das Leben Jesu III, p. 47 sqq.; Oswald, Kath. Magazin für Wissenschaft und Leben I, 1, p. 98 sqq.

[7]) Schanz, Commentar über das Evangelium des h. Matthaeus, p. 159.

[8]) Augustinus, De consensu evang. II, 19; Auctor imperfecti operis in Matth. 5, 1; Euthymius Zigab. in Matth. 5, 40, 42; alii.

[9]) Kaulen, Einleitung in die h. Schrift, § 482.

[10]) Hieronymus, De viris illustr. c. 3 et Prologus in Matth.

[11]) Fahrngruber, Nach Jerusalem, p. 424; Mislin, Die h. Orte III, p. 495.

Omissis autem ceteris orationis partibus, quas alio in libello contexte interpretari in animo habemus, in praesenti ad solum initium orationis illustrandum nos convertimus, quo virtutes seu qualitates quaedam ab omnibus discipulis Christi in regnum messianum introituris exercendae appellantur, vel ut aliis verbis utar, quo Christus insigni cum gravitate enumerat octo quas dicunt „beatitudines".[12]) Quae significatio inde orta est, quod octo illae sententiae binis ex membris constant, quorum in priore indicatur, quis beatitudinis messianae particeps fieri possit, quorum in posteriore vero, variis adhibitis figuris seu parabolis, haec beatitudo ita depingitur, ut utriusque membri verba optime inter se conveniant (Matth. 5, 3—10). — Et reapse octo, non, ut Delitzsch opinatur, decem beatitudines in evangelio S. Matthaei inveniuntur, quia praecepta, quae locum allatum sequuntur (l. c. v. 11 sq.) non tam toti populo data sunt quam solis apostolis, quibus quae in universum antea dicta sunt speciali modo accommodantur[13]). Neque rectius Meyer, Ewald, Hilgenfeld, alii, qui vim ac significationem ultimae beatitudinis non satis perspectam habent, septem tantum beatitudines numerant.[14])

Antequam autem singulas „beatitudines" accuratius examinemus, denique hoc loco praemonendum putamus, sententias illas sapientissime in initio orationis collocatas sine dubio etiam inter se optime ordinatas atque dispositas esse. — Jam S. Ambrosius conjecit, beatitudinibus gradum quendam virtutum inesse, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere.[15]) Similiter S. Augustinus „Octava", inquit, „tanquam ad caput redit ... septem sunt ergo quae perficiunt, nam octava clarificat et quod perfectum est demonstrat, ut per hoc gradus perficiantur et ceteri, tanquam a capite rursum exordiens".[16]) Idem alio loco, septiformem operationem Spiritus sancti, de qua Isaias 11, 2 loquatur, septem prioribus gradibus sententiisque respondere opinatus „timor Dei", ait, „congruit humilibus, pietas mitibus, scientia lugentibus etc."[17]) S. Thomas Aquinas arbitratur primum positos esse tres actus virtutum, quibus removeamur a malo, tum duos, quibus operemur bonum, deinde duos, quibus disponamur ad optimum, octavam vero beatitudinem designare perfectionem omnium praecedentium. Apodosin autem uniuscujusque praecepti respiciens „et notandum", inquit „quod istae beatitudines sibi invicem superaddunt; plus enim est misericordiam consequi quam saturari ... item non omnes qui misericordiam accipiunt admittuntur a rege ad videndum regem. Item plus est esse filium regis, quam regem videre".[18]) Cornelius a Lapide fere vestigia S. Ambrosii premit hisce utens verbis: „Est ergo hic climax sive gradatio, in qua quasi per scalam virtutum ascenditur in coelum gloriaeque coelestis apicem",[19]) — quam interpretationem etiamnunc multi autores sequuntur.[20])

Nos aliam explanationis viam ingressuri primo ipsas beatitudines eo ordine, quo optimis in codicibus leguntur,[21]) adjecta Vulgata translatione, in duabus, quas dicunt, columnis hic proponimus.

---

[12]) Ut gravitatem quacum Christus tunc loquebatur significet, evangelista (Matth. 5, 2) usus est hoc Hebraismo: ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ. Cf. Job. 3, 1; 32, 20; Dan. 10, 16.

[13]) Tholuck, Die Bergrede Christi V. ed, p. 47.

[14]) Cf. Meyer-Weiss in Matth. 5, 3.

[15]) Ambrosius in Luc. VI, 22.

[16]) Augustinus, De sermone Domini in monte hab I, 10.

[17]) Augustinus, l. c. I, 11.

[18]) Thomas Aquinas in Matth.; ed. Parm. X., p. 52 sqq.

[19]) Cornelius a Lapide in Matth. 5, 10.

[20]) Tholuck, l. c. p. 48; Bisping in Matth. 5, 10. Grimm, l. c. III, p. 50 sqq.

[21]) Solus codex D tertiam beatitudinem secundae anteponit. Ordinem a nobis comprobatam cum aliis editoribus S. Scripturae offerunt Westcott-Hort.

1. *Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

2. *Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται.* Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

3. *Μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσιν τὴν γῆν.* Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

4. *Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.* Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

5. *Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται.* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

6. *Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται.* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

7. *Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται.* Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

8. *Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum et regnum coelorum.

Quas duas partes sententiarum attente perscrutantibus et inter se comparantibus nobis continuo in mentem venit S. Johannis illud: „Omne quod est in mundo concupiscentia oculorum est et concupiscentia carnis et superbia vitae (I. Joh. 2, 16)“; quo ex dicto sequitur, ut quicunque in regnum coelorum seu messianum, regno „mundi“ oppositum, intrare voluerit imprimis appetere debeat paupertatem, castitatem, humilitatem, — i. e. virtutes triplici illi concupiscentiae oppositas. Nonne autem tria priora utriusque partis praecepta istas ipsas virtutes futuris regni messiani civibus expresse praescribunt? Qua in enumeratione quinta beatitudo perspicue respondet primae beatitudini, sexta secundae, septima tertiae, eo tantum discrimine interposito, quod tria priora praecepta pertinent ad homines, qui soli Deo dediti seu secum, ut dicitur, viventes imprimis patiendi vim habent, tria posteriora praecepta vero ad eos, qui in arena mundi positi imprimis agendi vim habent et efficiendi. Atque ita gradatione quadam in secunda parte facta virtutes paupertatis, castitatis, humilitatis, civibus messianis maxime necessariae, aptissime non semel tantum sed bis commendantur. Beatitudine autem quarta et octava, quae omnes virtutes simul complectuntur, terna praecepta antecedentia optime concluduntur. — Haec quidem summatim a nobis dicta sunt. Quae sequuntur singularum beatitudinum explicationes nostram de hoc loco difficiliore S. Scripturae sententiam magis magisque illustrabunt et probabunt.

I. *Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

1. Sub judice adhuc lis est, quinam sint „pauperes“, quos Christus hisce verbis beatos praedicat. Notum est plurimos viros doctos additamentum illud „*τῷ πνεύματι*“, quod rectius cum vocabulo *πτωχοί*, quam cum voce *μακάριοι* conjungunt, et objective et subjective interpretari, — objective quodammodo de regione (spiritus), in qua paupertas conspicitur, subjective autem de cognitione ac sensu illius paupertatis. Unde „pauperes spiritu“ esse dicuntur quicunque sibi conscii sunt et acerbe ferunt, quod intelligentia ac mente sua perpauca tantum comprehendere possunt et quod ipsorum infirma atque imbecilla voluntas virtutem constanter colere non valet, ut uno verbo utar: hac ex sententia „pauperes spiritu“ sunt submissi seu humiles.[22]) Cui explicationi pervulgatae nos quoque assentiremur, nisi haec eadem virtus humilitatis tertio loco a Christo auditoribus commendaretur (cf.

[22]) Pölzl in Matth. 5, 3; Meyer, Schanz, alii.

sub III), qua de causa vox illa dubia „paupertas“ in prima beatitudine obvia aliter circumscribenda esse videtur.[23]) Jam multo rectius Maldonatus, auctoritatem Tertulliani,[24]) Basilii,[25]) Gregorii Nysseni[26]) secutus judicat, pauperes hoc loco laudatos esse revera pauperes, qui opibus suis renuntiaverint; voce enim „spiritu“ i. e. „voluntate“ seu „propter spiritum“ significari voluntariam paupertatem, propter Christum aut sponte susceptam aut patienter toleratam.[27]) Maxime autem nobis probatur interpretatio Clementis Alexandrini, qui in pertractanda quaestione, num divites salventur nec ne, hoc permagni momenti esse optimo jure censet, utrum divites animum suum a divitiis mundum nudumque *τουτέστι πτωχεύουσαν* servent, an opes suas in animo ferant et loco Spiritus Dei aurum in corde habeant. Vel ditissimum a Christo appellari pauperem spiritu et heredem regni coelorum, dummodo ille opes ac fortunas suas habeat dona Dei, inopibus libenter distribuenda.[28])

Istam Clementis sententiam paullulo amplificantes nos hanc proponimus interpretationem. „Pauperes spiritu“ nominantur quicunque in animo suo inanitatem ac fragilitatem bonorum externorum recte perspiciunt et ab illorum illecebris laqueisque liberi ac soluti permanent: unde et inopes egestatem suam patienter perferunt et divites de possessione sua libenter nonnunquam decedentes coram Deo sicut pauperes vivunt.[29]) Quae explanatio optime quadrat ad singularem Christi amorem erga pauperes et mendicos, quibus ipsum se adeo assimilaverat, ut non haberet, ubi caput reclinaret (Matth. 8, 20; Luc. 9, 58). Pauperibus prae ceteris hominibus evangelium annuntiandum erat (Matth. 11, 5; Luc. 7, 22; cf. Is. 61, 1), divites terrebat illud: „Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum (Matth. 19, 24)“. Quam nostram verbi Domini interpretationem etiam comprobare videtur hoc Psalmistae monitum: „Divitiae, si affluant, nolite cor apponere (Ps. 61, 11)“, necnon S. Pauli ad Corinthios adhortatio: „Tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores tanquam non habentes sint ... et qui emunt tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur (1. Cor. 7, 29 sq.)“. Vulg.[30]) Denique verisimile est, verbis „pauperes spiritu“ eam quam nos statuimus notionem inesse propterea, quod omnes fere homines temporibus Christi de paupertate prava sentiebant et institutione divina hac

[23]) S. Augustinus, l. c. I, 3. pro certo sumens vocem „spiritus“ idem significare, quod vocem „audacia“ seu „superbia“, „quis nesciat“, inquit, „superbos inflatos dici tanquam vento (= spiritu) distentos. Quapropter recte hic intelliguntur „pauperes spiritu“ humiles et timentes Deum, i. e. non habentes inflantem spiritum“. At neque licet voces illas („spiritus“ et „superbia“), ubi nomen adjectivum non additum est, pares ponere, neque facile quemquam a vitiis ac delictis liberum nomines „pauperem“.

[24]) Tertullianus, Adv. Marcion. 4, 14 sq.

[25]) Basilius in Ps. 33, 5.

[26]) Gregor. Nyssenus, De beatitud. I.

[27]) Maldonatus in Matth. 5, 3. — Cyprianus, De duodecim abusionibus c. 8, Hieronymus in Matth. 5, 3, Thomas Aquin., l. c. p 50 Christum primo et humilitatem et miseriam externam respexisse dicunt. Grimm, Lex. s v. *πτωχός* „pauperes illi“ ait „*τῷ πνεύματι* (i e. animum quod attinet) politioris intellectus et doctrinae, qualem scholae praebent, copiis carent“. Alii aliter interpretantur.

[28]) Clemens Alex., Quis dives salv. 16, 17: *ὁ μὲν γὰρ ἔχων κτήματα ... ὡς θεοῦ δωρεὰς, καὶ εἰδὼς, ὅτι ταῦτα κέκτηται διὰ τοὺς ἀδελφοὺς μᾶλλον ἢ ἑαυτόν ... μηδὲ ἐν τῇ ψυχῇ ταῦτα περιφέρων ... κἂν ἀποστερηθῆναι δέῃ ποτὲ τούτων δυνάμενος ἰλέῳ τῇ γνώμῃ, οὗτος ὁ μακαριζόμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου καὶ πτωχὸς τῷ πνεύματι καλούμενος.*

[29]) Cf. Kistemaker in Matth. 5, 3 et Thomas Aquin. l. c. p. 50: „Ut distinguat Dominus legem veterem a nova primo ponit beatitudinem in contemptu divitiarum temporalium“.

[30]) Non praetereundum est silentio, quod etiam S. Lucas evangelista, qui 6, 20 omisso additamento „spiritu“ pauperes beatos praedicat, pro nostra interpretatione citari potest, quamquam non negligendum est, hanc orationem Christi a S. Luca passim aliquantulum immutatam esse. Vide supra p. 4. Cf. Schegg in Luc I, p. 286.

de re valde egebant. Non solum enim ethnici tum omnes inopes despiciebant et contemnebant,[31]) sed etiam Judaei, quorum avaritiam atque aviditatem jam prophetae vituperaverant (Hos. 12, 8; Am. 2, 6; 8, 5; Mich. 6, 10) post exilium Babylonicum magis magisque quaestui serviebant et bona externa justo pluris aestimabant (Matth. 19, 22).[32]) — Itaque in exponenda quaestione, quibus sub conditionibus introitus in regnum coelorum pateat, Christus aptissime primum expostulat, ut perniciosa concupiscentia oculorum, quae totam terram seu „regnum hujus mundi" impleat, contemptione ac despicientia divitiarum reprimatur.

2. *Βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* — Beatitudo pauperibus spiritu promissa secundo in membro primae sententiae comparatur cum jure civitatis, quo quis in regno coelorum fruitur. Quae appellatio regni a Messia conditi, qua solus Matthaeus Evangelista saepius utitur, ex rabbinico dicendi usu desumpta est mutata aliquanto verbi notione, aeque ac vox „λόγος" ex philosophia Alexandrina petita in evangelio S. Johannis novam accepit significationem.[33]) Vocabulum enim *malkuth schamajim* (regnum coelorum), quo Rabbini theocratiam in Sinai monte a Deo habitatore coelorum conditam descripserant,[34]) in evangelio S. Matthaei antitypum theocratiae illius i. e. regnum messianum designat, quatenus refertum est thesauris coelestibus, qui civibus messianis, et hac in terra constitutis (Matth. 11, 12; 13, 44; 16, 19), et post mortem in coelum ingredientibus (Matth. 6, 10; 8, 11; 25, 34; Luc. 23, 42 sq.) distribuendi sunt. Quo in regno prae ceteris civibus pauperes et divites, qui forti animo bonis externis renuntiant, compensationem quandam a Messia recipient sive hac in vita divinas ecclesiae gratias, sive in vita futura ea bona, quorum Lazarus, miserandus ille mendicus, una cum angelis in sinu Abrahae particeps factus est (Luc. 16, 22 sqq.). Ideo prima beatitudine tam argute quam necopinato indicatum est, pauperes, accuratius si spectaveris, esse divites in regno Dei.

II. *Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται.* Beati qui lugen quoniam ipsi consolabuntur.

1. Facile apparet non omnem luctum seu tristitiam nobis esse causam praemii in regno coelorum percipiendi. Tristitia illa, quae ex ira, aemulatione, invidia, aliis perversis animi motibus oritur (Sir. 30, 25 sqq.; cf. Matth. 27, 3 sqq.) hominibus perniciei est: „saeculi tristitia mortem operatur (II. Cor. 7, 10)".[35]) Quali vero luctu affecti esse debeamus, si in regnum messianum intrare velimus, optime perspicitur ex Is. 61, 1 sqq., quae verba prophetae Christus paucis diebus ante hanc orationem suam in synagoga Nazarenorum recitabat adjecta affirmatione: „Hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris (Luc. 4, 16 sqq.)". Isaias enim l. c. populum Israeliticum propter peccata sua a Deo acerbe castigatum temporibus messianis liberatum ac relevatum iri vaticinatus[36]) „misit me", inquit, „ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam ... ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem lugentibus Sion et darem iis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris". Ista igitur verba quasi digito demonstrans et oculos suos totum in mundum redemptionem ac salutem a Deo exspectantem conjiciens Christus in secunda beatitudine luctum

---

31) Menandr. fragm. p. 144: αἰσχρὸν γενέσθαι πτωχόν. Plautus, Trinumm. Act. II: „De mendico male meretur, qui ei dat, quod edat aut quod bibat". Cf. Hettinger, Apologie II, 1, p. 42.

32) Joseph. Flavius, De bello jud. II. 21, 2; Vita § 13; Riehm, Handwörterbuch des bibl. Alterthums s. v. Handel.

33) Maier, Comment in Joh. I, p. 115 sq.

34) Schöttgen, Horae hebr. et talmud. p. 1148.

35) Non incommode Cornelius a Lap. explicationem secundae beatitudinis exorsus „qui lugent", inquit „non carne, sed spiritu; τὸ enim „spiritu" ex versu tertio in omnibus his beatitudinibus est repetendum".

36) Knabenbauer, Erklärung des Propheten Jesaias, p. 661 sqq., Delitzsch in Jes. 60, 20.

cum poenitentia quadam conjunctum mente concepisse videtur, quo luctu afficimur, quotiescunque peccata nostra et culpamn ostram perpendimus nec non de tota miseria humana ex peccatis nostris profluente, v. gr. de morbo, dolore, aegritudine, toto corde cogitamus.

Itaque nos quidem non arbitramur, vocem „lugere" ad solam tristitiam de peccatis,[37]) aut. utut S. Augustinus docet, ad solum luctum de amissione carorum,[38]) aut, sicut Maldonatus opinatur, ad eos tantum qui „propter regnum coelorum oppressi" lugent,[39]) aut ad solam sollicitudinem de paupertate[40]) referendam esse. Generatim potius universam internam et externam miseriam hominum sub jugo peccatorum gementium amplectitur secunda beatitudo ideoque melius concordat cum simili illo Christi dicto: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (Matth. 11, 28)".

Haud paucos sane auditores miratos fuisse verisimile est, quod Dominus „lugentes" beatos praedicaret, quum unusquisque variis libidinibus seu concupiscentia carnis suae ad captandas suavitates atque oblectationes fere quotidie stimuletur. At sapientiores homines jam antiquitus sentiebant, gaudia impura mentem atque animum explere non posse, sed multos sui non potentes praecipitare in exitium.[41]) Et profecto solae pugnae contra carnem ejusque libidinem ac concupiscentiam commissae unicuique vere salutares sunt:[42]) quo magis quis rerum humanarum contemptione, animi moderatione, submissa dolorum ac calamitatum perpessione sese ab hoc mundo peccatis maculato separat, eo habilior fieri debet ad occupandum „regnum coelorum".[43]) — Sicut igitur Christus prima beatitudine concupiscentiam oculorum reprobat, ita secundo effato impugnat voluptatem seu concupiscentiam carnis, priore non minorem adversariam salutis aeternae.[44])

2. *Παρακληθήσονται.* — Cives regni messiani solatio quodam fruituros esse plurimi Israelitae sperabant (Jes. 40, 1 sqq.; 51, 3; 61, 1 sqq.; Jer. 31, 13 etc.). Quare Simeon quoque, venerandus ille senex *τὴν παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ* exspectabat (Luc. 2, 25), necnon Rabbini Messiae imponebant cognomen Consolatoris (*Menahem*).[45]). Via autem ac ratio, qua civibus illis solatium praebetur, diversa est quum pro statu — aut terrestri, aut coelesti — regni messiani, tum pro diversitate luctus eousque tolerati. Alii jam hac in terra seu in ecclesia Dei ex remissione peccatorum suorum permagnum capiunt gaudium (Luc. 15, 20, 23 sqq.), alii consolationibus fidei vivae, quae est „sperandarum substantia rerum" (Hebr. 11, 1; cf. Rom. 8, 18) mediis in calamitatibus hujus vitae mirabiliter recreantur,[46]) alii alio modo.[47]) — Neque minus ea praemia, quae hominibus in coelo tribuuntur solatii cujusdam notam ostendunt. Quamquam enim „oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis. qui diligunt illum (I. Cor. 2, 9)", nihilominus S. Johannes gaudia civium coelestium depingens „absterget", inquit, „Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et

---

[37]) Chrysostomus, Hom. XV in Matth.; Ambrosius, Liber VI in Luc., Hieronymus, alii.

[38]) Augustinus, l. c. I, 4: „Conversi ad Deum ea quae in hoc mundo cara habebant amittunt . . . et donec fiat in illis amor aeternorum nonnulla moestitia sauciantur".

[39]) Maldon. in Matth. 5, 5.

[40]) Meyer-Weiss in Matth. 5, 4.

[41]) Döllinger, Heidenthum und Judenthum, p. 729.

[42]) Job. 7, 1: „Militia est vita hominis super terram".

[43]) Oswald, Magazin I, 3, p. 349 sqq.

[44]) Thomas Aquin. in Matth. l. c. p. 57: „abstrahimur a malo noxiae voluptatis seu jucunditatis".

[45]) Buxtorf, Lex. talm. s. v. nechmah.

[46]) Ps. 94, 19: „Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam". Cf. II. Cor. 8, 2.

[47]) Schegg, Evang. nach Matthaeus I, p. 147.

mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra". (Apoc. 21, 4; cf. Jes. 25, 8; Ps. 126, 5 sq.; Apoc. 7, 17). — Ecce igitur, quam admirabilis et quam vera est haec secundae beatitudinis doctrina: Luctuosa renuntiatio voluptatis est causa gaudii solatiique christiani!

III. *Μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσιν τὴν γῆν.* Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

1. Secundum quotidiani sermonis usum vox *πραΰς* idem valet quod lenis, mitis, mansuetus; et proinde epitheton est hominis, qui similis Salvatori a famulo Pontificis verberato (Joh. 18, 22 sq.) injuriam patienter suffert et ulciscendi cupiditatem supprimit. Verum in dialecto Alexandrina, quam scriptores Novi Testamenti ex versione Alexandrina assumebant, huc accedit significatio „humilis" „submissus", „modestus".[48]) LXX interpretes enim voce *πραΰς* aliquoties *áni* et *ánav* convertunt (Ps. 25, 9; 37, 11; Zach. 9, 9), quibus vocabulis hebraicis ea animi qualitas, quae arrogantiae ac superbiae omnino opposita est (i. e. humilitas) nonnullis locis describitur.[49]) Quapropter etiam S. Paulus (Eph. 4, 2) vocabula *πραότης* et *ταπεινοφροσύνη* conjungit, et ipse Christus (Matth. 11, 29) „*ὅτι*", inquit, *πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ.* Itaque non dubium est, quin in hac quoque tertia beatitudine *οἱ πραεῖς* stent exadversus non solum *ὀργίλους*, sed etiam *ὑψηλοκαρδίους*,[50]) et optimo jure in Peschitone, versione Syriaca, hoc loco pro voce illa (*πραεῖς*) legitur *makhikha* i. e. humilis, miser, modestus.[51]) Nimirum mansuetudo et humilitas, virtutes celsissimae, arcte inter se cohaerent: Aliorum hominum offensiones ac vitia mansuete tolerare nemo potest, qui non suae virtutis oblivisci studet et sua ipsius vitia vel minima saepius recordatur, i. e. qui non humilis est corde. — Ergo jam nemo mirabitur, quod Christus damnata concupiscentia oculorum et carnis tertia in beatitudine discipulis suis in regnum messianum introituris pugnam contra „superbiam vitae" praecepit, quod praeceptum eo salubrius erat, quo magis pagani et Judaei tunc superbiae inserviebant. Populos ethnicos elatius se gessisse contra Judaeos, ex multis effatis arrogantibus Taciti[52]), Ciceronis,[53]) aliorum autorum illustrium[54]) perspiciendum est; Judaei autem e terris externis in Palaestinam regressi pulverem de pedibus suis excutere solebant, eo quod regiones a paganis obtentae immundae essent „aeque ac sepulcretum".[55]) Quis igitur non videt, quam necessarium fuerit, inimicitias istas detestabiles, ex superbia exortas, a limine regni messiani monito divino prorsus removere!

2. *Κληρονομήσουσιν τὴν γῆν.* — Ex comparatione cum ceteris beatitudinibus facta colligendum est, „terram" hoc loco nihil aliud significare nisi regnum messianum. Perpauci tantum interpretes cum S. Chrysostomo sub voce illa intelligunt „bona terrena" et praesentia, quorum saepe non violenti sed mansueti homines participes fiunt.[56]) Nonnulli recentiores scriptores voci *γῆ* notionem vocabuli *οἰκουμένη* subjicientes victoriam hic pronuntiari opinantur, quam humiles ac mansueti discipuli Christi ultimis temporibus ubique terrarum consecuturi sunt (Joh. 10, 16).[57]) Jure tamen meritoque

---

[48]) Kaulen, Einleitung § 67.
[49]) Ps. 18, 28: „Populum humilem (hebr. *ám áni*) salvum facies et oculos superborum humiliabis".
[50]) Tholuck, l. c p. 64.
[51]) Bernstein, Lex syr. s. v. *makhikha*.
[52]) Tacitus, Hist. V, 2—13.
[53]) Cicero, Pro Flacco c. 28.
[54]) Cf. Döllinger, Heidenthum und Judenthum, p. 767.
[55]) Sanhedr. 5, 2; cf. Lightf. II, p. 311; Mischna, ed. Surenhus VI, p. 151.
[56]) Chrysostomus, In Matth. homil. XV, 3.
[57]) Schegg., l. c. p. 143; Tholuck, l. c. p. 66.

plurimi explanatores in sententia, quam primo loco supra attulimus, perseverant; nam regnum messianum facile „terra“ appellari potuit, sive quod ipsum quodammodo est „coelestis terra viventium“ huic terrae corruptibili objecta,[58]) sive quod „terra sacra“ (Palaestina) jam in Veteri Testamento identidem habetur typus regni messiani (Jes. 60, 1 sqq.; 65, 9; 66, 10; Jer. 33, 7 sqq.; Ezech. 34, 27 sqq. etc.).[59]) In istum igitur regnum ingressi humiles et mites jam hac in terra non omni beatitudine interiore carebunt, quamvis extrinsecus a superbis et violentis aliquoties vexentur et opprimantur; postquam autem in coelum, i. e. perfectum regnum messianum ascenderint, cum Salvatore nostro humillimo et mitissimo, cujus cohaeredes facti sunt, splendidissime et in perpetuum conglorificabuntur (Rom. 8, 17), ita ut plane impleatur S. Mariae, humilis ancillae Domini, illud: „Dispersit superbos mente cordis sui ... et exaltavit humiles (Luc. 1, 51 sq.)“.

IV. *Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.* Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

1. Quicunque aliquamdiu fortiter pugnaverit contra tentationes triplici illa concupiscentia oculorum, carnis, superbiae excitatas, mox non satis habebit, tentationum incursus solummodo respuere, sed etiam vehementer exoptabit, ut ipsa justitia, i. e. plena concordia humanam voluntatem actionemque inter et voluntatem divinam delectari possit: omnis enim miles fortis tandem aliquando coronari vult Inhabitat autem justitia illa regnum messianum, cujus de ornatu interiore jam prophetae antiquiores haec fecerunt verba: „Sicut terra profert germen suum et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam (Jes. 61, 11; cf. 4, 3; 45, 8; 60, 14. 17. 21; Jer. 31, 33; Ezech. 36, 25 sqq.). Ergo sperandum est fore, ut desiderium illud status perfectioris intra fines regni messiani expleatur.[60]) Profecto, non accommodatius tres priores beatitudines concludendae erant quam quartae beatitudinis ampliore effato, quo quae de exercendis virtutibus triplici concupiscentiae contrariis antea dicta erant breviter repetuntur seu confirmantur nec non ratione habita omnium virtutum viam ad plenam justitiam aperientium amplificantur!

2. *Χορτασθήσονται.* Substantivum huic verbo addendum sine dubio est *δικαιοσύνης*, vel ut aliter dicam: justitia desiderata discipulis Christi non extrinsecus „imputatur“, sed revera intrinsecus infunditur, id quod etiam interpretes acatholici concedere coacti sunt.[61]) Immo quum justitia illa seu „complexio omnium virtutum“[62]) summum sit bonum, vel ipsi justificati, dummodo spiritalem famem suam sitimque iterum atque iterum renovent, in sanctitate et justitia regni messiani progredientur secundam illud vatis apostolici: „Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc (Apoc. 22, 11)“. Quamquam autem perfecta illa recreatio seu saturitas non exspectanda est nisi eo momento, quo Christi sectatores, nuptiis Agni coelestis factis (Apoc. 19, 7), veste sancti-

---

[58]) Hieronymus in Matth. 5, 4; Augustinus, De sermone in monte hab. I, 4; Origenes, Hom. XXVI in Num.; Thomas Aquin., alii.

[59]) Kistemaker, Pölzl. in Matth. 5, 4, alii.

[60]) Winer, Grammatik des neutestamentl. Sprachidioms, § 30, 10 recte docet, verba *πεινῆν* et *διψῆν* non solum cum genitivo, sed interdum etiam cum accusativo ejus rei, quae cupide desideratur, conjugenda esse. Quare Maldonato, qui pro *δικαιοσύνην* melius *διὰ δικαιοσύνην* legendum, ideoque hoc loco corporalem famem et sitim propter justitiam a Christo commendatam esse censet, assentiri non possumus.

[61]) Ibbeken, Die Bergpredigt Jesu, p. 28 sq.; Meyer-Weiss in Matth. 5, 6.

[62]) Cornelius a Lap. in Matth. 5, 6.

tatis et justitiae ornati cum Domino suo discumbent (Matth. 22. 2 sqq.),[63]) minime tamen dubium est, quin jam regnum messianum hac in terra constitutum modo ingressi homines cibum justitiae illius aliqua ex parte gustaturi sint; nam Christus „Ego", inquit, „sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam (Joh 6, 35)"!

V. *Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται.* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

1. Augustinus, Gregorius Nyssenus, Leo Magnus „misericordes" hoc loco eos tantum appellari judicant, qui eleemosyna aliorum inopiae opitulentur.[64]) Quae sententia minime a limine rejicienda est. Ad colendam enim virtutem misericordiae saepissime nobis occasionem praebet exterior hominum miseria atque inopia, qua undique circumdamur; unde ipse Christus in illa de extremo judicio oratione (Matth. 25, 31 sqq.) non alia opera praemio a judice divino donanda enumerat nisi opera misericordiae corporalia. Quinta igitur nostra beatitudo beatitudini primae accuratissime respondere videtur, quatenus pauperibus illis de bonis externis libenter desistentibus hic opulentiores homines onus paupertatis quam plurimis levantes oppositi sunt. — Attamen quum miseria interior seu spiritualis corporali haud raro major sit, et illius impugnatio nobis a Salvatore nostro persaepe dictis factisque praecipiatur (Luc. 6, 36 sq.; Matth. 5, 44; 9, 13 etc.), rectius hac beatitudine homines et exterioribus et spiritualibus malis laborantes misericordiae nostrae commendari arbitramur. Itaque quamvis beatitudines illae (I et V) inter se simillimae sint, minime tamen gradatio quaedam a prima beatitudine ad quintam facta fugere nos potest.

Quantopere autem temporibus Christi pagani et Judaei virtute duplicis illius misericordiae caruerint, nemo nescit. Intra fines ejus populi, qui artem gladiatoriam exercebat misericordiae non erat locus;[65]) qua de causa ne Vergilius quidem, plurimis poetis ethnicis honestior ac venerabilior, vult „miserans inopem dolere.[66])" Philosophi Stoici docebant, sapientem gratia ac benignitate nunquam moveri et neminem misericordem esse nisi stultum et levem.[67]) Judaei autem, quamquam per legem Mosaicam jussi erant pauperes, viduas, pupillas clementer ac benigne tractare (Lev. 19, 9 sq.; Deut. 24, 19 sqq.; Ex 22, 22 sqq.; Lev. 19, 35),[68]) tamen jam antiquitus in mira opinione versabantur, unamquamque calamitatem manare ex speciali peccato personali et poenae habere notam (Job. 4, 7 sq ; 8, 4; Joh. 9, 2), ita ut ipsis opera misericordiae fere repugnare viderentur justitiae divinae. — Gratiae certo quam maximae Christo habendae sunt, quippe qui exadversus crudelitatem illam paganorum et hunc Judaeorum errorem virtutem misericordiae coram discipulis suis regnum messianum occupaturis tantopere celebraverit!

2. *Ἐλεηθήσονται.* Sicut totius regni messiani fundatio, ita uniuscujusque hominis in illud receptio non perficitur nisi misericordia divina (Jes. 43, 22 sqq.; Luc. 1, 71; Rom. 9, 15 sq.; 11, 30). Etsi enim octo quae nominantur beatitudines indicant, quibus sub conditionibus praemium messianum assequi possimus, nemo tamen praemium illud vi ac virtute sua mere humana proprie promeretur, quoniam ne primus quidem accessus ad regnum messianum fieri potest nisi adjuvante gratia Dei (Joh. 6, 44); itemque salutaria opera in regno postea perficienda adeo gratia Dei indigent

---

[63]) Reischl in Apocal. 19, 8.

[64]) Augustinus, l. c. 1, 7; Gregorius Nyssenus, De beatitud. orat. 5; Leo Magnus, De gradibus ascensionis ad beatitud. 7.

[65]) Friedlaender, Sittengeschichte Roms, II, p. 264 sqq.

[66]) Vergil., Georg. II, 499.

[67]) Cicero pro Murena c. 29, § 61.

[68]) Weiss, Moses und sein Volk, p. 82.

(Phil. 2, 13), ut Deus, sicut ait S. Augustinus, quum coronat merita nostra, nihil aliud coronet nisi munera sua.[69]) Quam ob rem non solum est ingeniosum Paradoxon, sed etiam omnino pro vero constat, homines praestantes aliis misericordiam misericordia et ipsos fruituros esse. Propter abundantiam autem gratiae divinae (Rom. 5, 15 sq.) sperare nobis licet, futurum esse, ut vel minimis nostris operibus misericordiae permagnum praemium a Deo adjudicetur, „quoniam Deus retribuens est et septies reddet tibi (Sir. 35, 13)".[70]) — Denique de ratione, qua Deus misericordiam suam in regno messiano manifestat, optime jam S. Thomas Aquinas „Ista", inquit, „misericordia inchoatur in hac vita dupliciter. Primo quia relaxantur peccata ... secundo quia removet defectus temporales. Perficietur tamen in futuro, quando omnis miseria et culpae et poenae removebuntur."[71])

VI. *Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται.* Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

1. Similitudinem si quis perspexerit, quae quintam inter et primam beatitudinem intercedit, facile conjecturam faciet, fortasse etiam sextam beatitudinem quodammodo congruere cum secunda, qua voluptas seu concupiscentia carnis respuitur. Et reapse jam Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, nuper autem Calmetus et Ibbeken similitudine illa nondum perspecta affirmarunt, Christum sexta beatitudine cives regni messiani ad virtutem castitatis seu continentiae, pulcherrimum illud „mundi cordis" decus obligasse.[72]) Quam sententiam nos quoque assensione comprobamus propterea quod a) in ea parte orationis, quae „beatitudines" sequitur (Matth. 5, 17—48) tanquam in pleniore commentario beatitudinibus adjecto praeter mansuetudinem, misericordiam, alias virtutes christianas imprimis castitas seu continentia uberius celebratur. Ergo haec ipsa virtus jam in serie beatitudinum exsplendescere et insigni cum vi ac pondere praedicari debebat. b) Omnibus omnium temporum hominibus persuasissimum est, prae ceteris virtutibus castitatem seu virginitatem facultatem praebere proxime accedendi ad Deum et intuendi faciem divinam; qua in sententia ethnici et Judaei consentiebant et perseverabant, quamvis foedis libidinibus saepissime indulgerent. Notum est Romanos Vestales virgines semper maximo in honore habuisse.[73]) Judaei vetiti erant concubitu facto ad templum adire (Lev. 15, 16 sqq.); neque Pontifici illorum licebat die expiationum in Sancta sanctorum intrare sive in conspectum Dei ibidem habitantis (Exod. 25, 22; Lev. 16, 2) venire, nisi antea per septem dies ab omni carnis libidine diligenter caverat.[74]) Itaque vix dubitandum est, quin „mundi corde" Deum aliquando visuri castis seu a voluptate carnis abhorrentibus pares ponendi sint.

Plurimorum interpretum opinio, mundos hic in universum intelligendos esse eos, quorum conscientia integra omniumque scelerum pura sit, hac ex causa rejicienda est, quod singulis virtutibus in quinta et septima beatitudine laudatis singularis quaedam virtus in sexta beatitudine responderet necesse erat. — Postremo non omittendum est, S. Augustinum vocem „mundus" perbene explicare vocibus „simplex" et „sincerus", quae qualitatem designant in libris Novi Testamenti passim commen-

---

69) Augustinus, Epist. 105. Cf. Oswald, l. c. p. 359 sq.

70) Chrysostomus, l c. 4: *Οὐκ ἔστι δὲ ἴσον ἀνθρώπινος ἔλεος καὶ θεῖος, ἀλλ' ὅσον πονηρίας καὶ ἀγαθότητος τὸ μέσον, τοσοῦτον οὗτος ἐκείνου διέστηκε.*

71) Thomas Aquin., l. c. p 52.

72) Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Calmetus in Matth. 5, 8. Ibbeken l. c. p. 39.

73) De Maistre, Du pape ed. Lieber II, p. 45 sqq. Cf. Demosthenes contr. Timocrat. n. 186; Hettinger, Apologie II, 3, p. 303.

74) Scholz, Heilige Alterthümer des Volkes Israel, I, p. 100; II, p. 82, 252.

datam (Matth. 10, 16; Joh. 1, 48; 1. Tim. 1, 5).[75]) Attamen quare mundis corde excelsa illa felicitas Deum videndi a Christo promissa sit, facilius intelligitur, si Dominum hoc loco mentionem castitatis virginitatisque habuisse statuimus, quippe quae virtutes unanimi ex consensu gentium majore illo praemio donandae sint.

2. *Τὸν θεὸν ὄψονται.* — Modo diximus beneficium illud videndi Deum non significare solum introitum in regnum messianum sed aditum ad excelsiorem beatitudinis messianae gradum. Sicut enim teste Veteri Testamento beatissimi habebantur omnes quibus contigit, ut faciem regis terrestris viderent et prope ipsum commorarentur (II. Sam. 14, 24. 28. 32; Esth. 1, 14), ita nobilissimi atque excellentissimi Israelitae per totam vitam suam omni virium contentione hoc unum petebant, ut suo tempore faciem Dei viderent (Exod. 33, 18 sqq.; Ps. 17, 15; 41, 13; Job. 19, 26 sq.); unde etiam S. Johannes glorificatos servos Dei conspicatus est „stantes ante thronum Dei" et „videntes ejus faciem" (Apoc. 7, 15; 22, 4). Tecum autem hoc loco reputes, quam argute ac sollerter Christus sortem secundam castorum sectatorum suorum depinxerit Qui hac in terra propter intemperantiam ac libidinem plurimorum hominum in publico esse vix audent, iidem regno messiano consummato in conspectu Dei astantes apud omnes homines summo in honore et pretio erunt!

VII. *Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται.* Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Non *εἰρηνικοί*, i. e. pacati, pacis amantes, sed *εἰρηνοποιοί*, i. e. pacem facientes, pacifici, pacis conciliatores hic celebrantur.[76]) Vox enim *εἰρηνικός* idem fere significat quod *πραΰς* (vide sub III); Christus vero quum sine dubio septima in beatitudine aeque ac in ceteris secundae partis beatitudinibus gradationem quandam virtutum prioribus in quattuor beatitudinibus laudatarum instituere voluerit, eos homines hoc loco beatos praedicare intendit, qui operam suam studiumque in sedandis iris atque inimicitiis nec non in reconcilianda pace ac concordia collocant. Tales sunt *εἰρηνοποιοί*.[77]) — Quae restitutio pacis temporibus Christi eo magis optanda erat quo acerbius multae factiones et sectae judaicae et ethnicae tum exortae se mutuo impugnabant.[78]) Nemo ignorat, imprimis discipulos Hillel et Schammai Rabbinorum publicis in disputationibus seu litibus rem suam saepe gladio gessisse.[79]) Nec minus apud gentes ethnicas ea aetate principes civitatis cum iis qui populi causam gerebant aliaeque factiones politicae inter se cruentis haud raro proeliis conflictabantur.[80]) Dum autem tota terra tanto bello omnium contra omnes ardebat, semen verbi messiani bene provenire et crescere non poterat, nam „regnum Dei est justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto (Rom. 14, 17)." Quare optimo jure, utut septima beatitudo proclamat, majore honore quam alii cives regni messiani decorandi erant quicunque removendo superbiam, cupiditatem dominandi, ambitionem, alias radices inimicitiarum id summopere laborabant, ut ipsum Evangelium ubique propagari posset.

2. *Υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται.* — Cui secundo beatitudinis membro nimirum non moralis sed messianus sensus subjiciendus est; vel ut aliter dicam: pacifici appellantur „filii Dei" non eo, quod virtute sua Dei similes sunt, sed quod in regno messiano dignitate *υἱοθεσίας* ornabuntur. Simul

---

[75]) Augustinus, De oratione in monte hab. I, 8.

[76]) Hieronymus in Matth 5,9: „Pacifici — qui primum in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes pacem faciunt.

[77]) Luc. 10, 5: „In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui!"

[78]) Krüger, Theol. Quartalschrift 1887, p. 429 sqq.; 599 sqq.

[79]) Jost, Geschichte des Judenthums und seiner Sekten, I, p. 262, 278, 291 II, p. 14.

[80]) Döllinger, Heidenthum, p. 666 sq.

atque enim baptismate regno messiano seu corpori mystico Jesu Christi, filii Dei, adjungimur, et ipsi filii (adoptivi) Dei efficimur (Rom. 6, 3 sqq.; Gal. 3, 27), quae dignitas jam hac in vita nos laetificans (Rom. 8, 15 sq.) perficietur post supremum judicium facta corporis nostri redemptione (Rom. 8, 19–23). Majore autem honore quam alii cives messiani excellent pacifici, quatenus eorum dignitatem ceteri homines, etiamsi antea ipsis inimici fuerint, libenter agnituri sunt,[81] — id quod colligendum est ex vocabulo *κληθήσονται* (pro *ἔσονται*), quo semper significatur, nomen honorificum cuidam merito imponendum seu honorem justum ac debitum ipsi habendum esse.[82] Itaque aeque ac misericordes et mundi corde (fortissimi illi adversarii concupiscentiae oculorum et carnis) pacifici, quippe qui superbiam vitae, omnium dissidiorum causam primariam superent, in regno messiano insigne praemium consequentur.

At jam ad finem commentationis nostrae venimus. Veluti tres priores beatitudines apte concluduntur quarta beatitudine, in qua praecepta antecedentia denuo colliguntur et paullulum amplificantur, sic beatitudo quinta, sexta, septima tanquam in hanc octavam influunt, quae simul quartae beatitudini manifesto respondet.

VIII. *Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

1. Misericordes, mundi corde, pacifici, quamquam in impugnanda hominum concupiscentia majorem vim atque operam consumunt quam pauperes, lugentes, mansueti (humiles), in universum tamen eundem quem hi spectant finem, justitiam dico, i. e. quam maximam concordiam inter humanam et divinam voluntatem. Cf. sub IV. Nec mirum est, quod in proposito suo fortius ac strenius persequendo illi saepissime in impiorum hominum irrisionem et odium incurrunt. V. gr. David a Saulo et aliis, quibus misericordem se praebuerat sexcenties offensus et vexatus est (I. Sam. 24, 26; Ps. 38, 21; 41, 10); Josephus patriarcha propter munditiem cordis sui multa mala perpessus est (Gen. 39, 7 sqq.); Psalmista conqueritur hoc modo: „Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus; quum loquebar illis, impugnabant me gratis (Ps. 120, 7). Et certe quaevis virtus, quam in appetenda „justitia" colimus, haud paucos persecutores provocare solet (Job. 12, 4; Ps. 34, 20; 37, 32 sq.; Coh. 8, 14; Sap. 2, 12).[83] Nihilominus igitur si quis in ista via „justitiae" impigre progreditur, a Deo, ut octava docet beatitudo, dignus ducetur, qui in beatum regnum messianum recipiatur.

2. *Βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* — Quod in ceteris beatitudinibus explicandis docuimus, hoc quoque loco similiter aliquantulum premendum est, persecutiones propter justitiam nobis irrogatas non solum usque ad introitum in regnum messianum, sed etiam intra fines ipsius fortiter sustinendas esse, si cives regni messiani perfecti seu habitatores coeli fieri cupimus. Immo post introitum illum facile nobis acerbiores persecutiones a „mundo" parantur quam antea; nam „hic mundus", in quo triplex illa concupiscentia perversa dominationem exercet, odit lucem in regno messiano effulgentem (Jes. 60, 1 sqq.; Joh. 3, 20), sicut ipse Christus discipulis suis vaticinatus est. (Joh. 15, 20 sqq.). At jam primis temporibus christiani, etsi atrocibus exsecrationibus percussi ex synagogis Judaeorum

---

[81]) Cf. Sap. 5, 3 sqq.: „Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum . . . nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei!"

[82]) Winer, Grammatik des neutestamentl. Sprachidioms, § 65, 8.

[83]) Chrysostomus in Matth. 5, 10: *Δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, τουτέστι τῆς ἀρετῆς ἕνεκεν, τῆς ὑπὲρ ἑτέρων προστασίας, τῆς εὐσεβείας.*

ejiciebantur, tamen excelsiora bona regni messiani animo collustrantes brevi se consolabantur;[84]) et quamvis ab ethnicis cruentissimis tormentis laccrarentur, tamen mediis in doloribus cum S. Laurentio beatitudinem regni coelorum anticipare poterant,[85]) quoniam omnibus, qui fideles sunt usque ad mortem, confidenter exspectare licet coronam vitae aeternae (Apoc. 2, 10). — Atque ita Christus postrema in beatitudine pronuntianda omnes sectatores suos et extra et intra muros regni messiani stantes tanquam uno in conspectu contuitus et ad „justitiam' fortiter capessendam eodem fere modo hortatus est, quo alia occasione data dixit: „Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud (Matth. 11, 12)."

Postquam Christus in monte finem dicendi fecit, Judaei non poterant non admirari doctrinam quam modo audierant (Matth. 7, 8). Quibus libentissime assensum praebebit qui nobiscum parvam illam orationis partem, quam supra adumbravimus, mente et animo consideraverit Perpaucis enim verbis gravissimis octo viae hic describuntur, quas qui persequitur ab omni interno et externo periculo tutus ad regnum messianum pervenit. Dummodo triplicem perversam concupiscentiam forti animo impugnamus, — sive secedentes de coetibus hominum vitam agamus soli Deo deditam (beatitt. I—IV), sive mediis in illecebris et persecutionibus hujus mundi constanter saluti hominum operam navemus (beatitt. V—VIII) — beatitudine regni illius neque hac in terra neque in coelis carebimus. Ergo id agite, commilitones carissimi, ut jam a prima adolescentia vestra vias istas gratas acceptasque habeatis, quae quamvis nonnusquam arduae atque asperae sint, vos quoque ferent ad angustam portam regni messiani (Matth. 7, 14)! —

[84]) Oswald, l. c. I, 4, p. 469 sqq. Schanz in Matth. p. 169.
[5]) Acta martyrum. ed. Ruinart, p. 240.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quinquies hebdomade hora IX.
II. De arte christiana disserere perget semel hebdomade hora IX.

Dr. Henric. Oswald, P. P. O.

I. De divino creationis opere disputabit, dein protoparentum nostrorum statum originalem et praevaricationem enarrabit, tum de originali peccato disseret, quater vel quinquies p. hebd. hora X.
II. Repetitiones dogmaticas instituet examinandi et disputandi causa, semel p. hebd. hora X sabbati.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Jesaiae prophetae vaticinia interpretabitur ter p. hebd. hora VIII.
II. S. Pauli epistolam ad Romanos nec non epistolas quas dicunt pastorales explicabit ter p. hebd. hora VIII.
III. Antiquitates sacras Hebraeorum dabit horis deff.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem ultimam docebit quinquies vel sexies hebd. hora XI.
II. Repetitiones de selectis ethices christianae capitibus instituet hora def.
III. Patrum apostolicorum vitas et opera explicabit semel p. hebd. hora def.

Dr. Antonius Kranich.

I. Reliquam partem apologetices tradet bis p. hebd. hora VII.
II. Encyclopaediam s. theologiae docebit hora def.
III. Selectos articulos summae s. Thomae theologicae cum commilitonibus leget semel p. hebd. hora def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Krause, P. P. O, h. t. Decanus.

I. Psychologiam docebit bis per hebd. hora X.
II. Metaphysicen tradet ter per hebd. hora X.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiae recentioris partes praecipuas, aut historiae medii aevi capita selecta tractabit ter hora XI per hebd.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. hora XI.
III. De cognatione linguae theodiscae cum aliis linguis, aut de antiquitatibus Germanorum, imprimis rebus mythologicis disseret semel vel bis per hebd. hora XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P O

I. Inscriptiones christianas cum commilitonibus leget bis hebdomade hora IX.
II. De arte Graecorum disseret ter hebdomade hora IX.
III. Exercitationes latine loquendi moderabitur semel hebdomade hora IX.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P O.

I. Conspectum universae botanices exhibebit bis hebdomade.
II. Exercitationes botanicas microscopio instituet semel hebdomade.
III. Selecta physices capita docebit experimentisque illustrabit bis hebdomade.
IV. Potiores quasdam geographiae mathematicae et astronomiae partes tractabit semel hebdomade horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**
IV. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Niedenzu.**